

■ C 2

15 280



led

Sammelband

III



4.
De Charitate

Christiana

QVAESTIONES DVÆ,

anniuersariæ disputationis causa propositæ in

Academia Argentoratensi, a IOHANNE

PAPPO Doctore Theologo.

Respondebit de his, Christo Seruatore iuuante, 8. 15.

et 22. Martij, M. Iohannes Henneberger

Argentiniensis.



ARGENTORATI

Excudebat Nicolaus Vvyriot.

1578.

Lectōri Salut. in DOMINO.

Ezechielis 22. f. 26. repræhenduntur Sacerdotes Iudaici, quòd interfacrum & prophanum non distinguerent, & mundum & immundum non discernent. Eodem autem cap. a. 2. & prius 2c. a. 4. Propheta iubetur iudicare ciuitatem sanguinum Ierusalem, ipsosque seniores Iuda: & tam ipsorum, quam Patrum ipsorum abominationes eis ostendere. Et Act. 4. c. 13. d. 19. Apostolorum Petri atque Iohannis *παρρησία* h. e. constans in dicendo libertas, & libera constantia prædicatur. Istos locos cum proximis superioribus mensibus tractassem: hunc quidem antemeridianis, illos autem pomeridianis Scholis meis: putavi faciendum, vt iuxta leges Academiae nostrae, eiusdem argumenti disputationem mense meo proponerem. Inscripti autem eam, de Charitate Christiana. propterea quòd multis hoc tempore, contra charitatem Christianam facere videntur, qui præceptum illud DOMINI apud Iezechielem, & exemplum Apostolorum sequuntur: ij autem, qui cum Sacerdotibus illis Iudaicis, prauos errores tolerant, aut ad eos conuiuent, charitatis Christianae nomine falso gloriantur. Hoc te scire volui, Vale candidè lector.

Ioh. Pappus D.

De Charitate Christiana.

I.
Multa quæri possunt de Charitate Christiana.
Vt, 1. ipsane fidem efficiat: an à fide efficiatur?
2. quomodo sine ea Fides nihil sit? 3. quomodo maior Fide & Spe sit? 4. quomodo multitudinem delictorum operiat? & quæ sunt his similia.

II.
Sed nos hæc duo saltem nunc disquiremus: 1. *Vtrum contra Charitatem Christianam sit, damnare errores repugnantes verbo Dei?* 2. *Et, vtrum contra eandem sit, ab Ecclesijs tales errores pertinaciter defendentibus, sese per publicam confessionem seiungere?*

III.
Quorum hoc ad totas Ecclesias, & singula earum membra: illud ad Concionatores & Ministros maxime pertinet.

QVAESTIO I.

III.
Est autem damnare errores, nihil aliud, quam veritatis opinionem demere dogmati falso, hoc est labefactanti fundamentum fidei.

V.
Id quod fit, primo quidem dijudicando: deinde autem refutando: postremo monedo Ecclesias, ut à talibus erroribus, & à doctoribus tales errores profitentibus sibi caueant.

A ij

VI.

Non autem peccare ministros contra charitatem Christianam, damnando errores: ex eo primum probatur: quod charitas Christiana nullius officium, aut munus uocationis proprium tollit.

VII.

Neque enim propter charitatem Christianam, Magistratus furi aut adultero parcere debet.

VIII.

Non autem minus Concionatorum munus est, damnare errores: quam Magistratus, animaduerte-
re gladio in fontes.

IX.

Hoc enim est separare preciosum à uili, Ier. 15, d. 19. inter sanctum & prophanum distinguere, & mundum & immundum discernere. Ier. 22. f. 26. τὸς ἁγίους ἀποκτείνοντες καὶ ἐπισημίζοντες. Tit. 1. c. 9, 11. attendere gregi contra lupos, Act. 20. f. 28. ac ne ad tempus quidem cedere per subiectionem παρασάκτοις ψευδελείοις. Gal. 2. a. 4, 5. & alia huiusmodi complura passim.

X.

Deinde charitas Christiana nequaquam tollit πληροφορίαν, siue certitudinem Fidei.

XI.

Non autem potest Fides certo & sine ambiguitate tradi: nisi opposita damnatione erroris contrarii.

XII.

Habet enim & hic locum, contraria iuxta se posita magis elucescere.

Et

XIII.

Et nisi expressè homines moneantur de erroribus, facile decipiuntur, & à uia ueritatis abducuntur.

XIIII.

Proprium siquidem falsorum doctorum est, Ecclesiae uocem aliquatenus imitari, & Magistri sui Satanae exemplo, uel in Angelos lucis se conuertere.

XV.

Tertiò, cum Charitas Christiana sit, ut loquuntur, ordinata: in primis curae esse debet Ministris, quomodo eam exerceant erga Ecclesias sibi commendas.

XVI.

Nullam autem maiorem charitatem praestare eis possunt, quam curando, ut depositum doctrinae caelestis, ab omni corruptela factum tectum conseruetur.

XVII.

Et non modo ineptè, sed etiam crudeliter misericors esset Pastor, qui Lupo parceret, oues non defenderet.

XVIII.

Quarto, Etsi minimè ex charitate uidetur profluere damnatio errorum: tamen qui rectè suo munere funguntur ministri, utrunque faciunt: seuerè damnant errores, & nihilominus syncerè compatiuntur illis ipsis, quorum errores damnant.

XIX.

Quin & in uiam reuocare eos student: quod fieri

non potest, nisi demonstrato prius errore.

XX.

Necq̄ alio opere charitatis magis opus habent, qui errant: quàm ut & ipsis, & alijs error ipsorum detegatur, & palàm fiat.

XXI.

Ne & ipsi in errore suo pereant: & aliorum præterea perditionis rei efficiantur.

XXII.

Neque si aliqua interdum impatientior uox auditur in damnatione errorum: nulli propterea errores damnandi sunt.

XXIII.

Quemadmodum neque omni spiritui credendū statim est, conquerenti erga se non exerceri charitatem.

XXIII.

Sed hoc potius considerandum, utrum cōdemnationes illæ nitantur uerbo Dei, an non?

XXV.

Et affectus carnis, si quis deprehenditur, ab ipsa doctrina, siue damnatione distinguendus est.

XXVI.

Quinto, Charitas Christiana uersatur in operibus & officijs secundæ tabulæ Decalogi: damnatio autem errorum ad primam tabulam pertinet.

XXVII.

Non ergo ex secunda tabula contra primam argumentari debemus: sed potius contra, Concedat interim

interim non nihil secunda tabula, dum prima munere suo functa sit.

XXVIII.

Nam & scandalum tutius permittitur, quam ut ueritas non defendatur, aut errores non redarguantur.

XXIX.

Sexto, charitas proximi, seu quam debemus proximo, non impedit charitatem Dei, seu quam Deo debemus.

XXX.

Deus autem, quem super omnia diligere tenemur, iubet damnari & uitari errores.

XXXI.

Septimo, omnium Prophetarum & Apostolorum, & Christi Seruatoris exempla, & Ecclesiae omnium temporum praxis docet, damnatos fuisse, & adhuc damnandos esse errores.

XXXII.

Sermo enim falsorum doctorum, ut cancer moribus serpit, siue *νομὴν ἔχει, καὶ ὑπὲρ πλείονος προκόπτει ἀσθεῖας.* 2. Timoth. 2. c. 16, 17.

XXXIII.

Neque expectata fuit Conciliorum definitio: quæ tum demum coacta sunt, cum rebus turbatis aliter succurri non potuit: interim prius ministri non cessabant, in sua quisque Ecclesia damnare errores.

XXXIII.

Octauo, etiam atque etiam monendæ sunt Ecclesiae,

siæ,

sia, de insigni Satanæ astu: qui sub prætextu chari-
tatis Christianæ, libertatem & impunitatem querit
omnibus erroribus & hæresibus.

XXXV.

Quem enim errorem non persuaderi posse homi-
nibus credemus, si non licebit quemcunque errorem
damnare?

XXXVI.

Aut quid aliud est pacem Ecclesiæ promittere, si
non damnentur errores: quam ab Ouibus postula-
re, ut Canes discordiæ inter Oves & Lupos autores,
Lupis tradant?

XXXVII.

Vnde nihil aliud, quam Epicureus contemptus
Dei, & omnium religionum sequi potest, & quoti-
die sequitur.

XXXVIII.

Quam quidem *ἀδύρματα* calamitates publicæ &
privatæ comitantur, sicut scriptum est, Abijciet eos
Deus meus, quia non audierunt eum. Hof. 9. d. 17.

XXXIX.

Qui autem obijcere solent, solius Dei esse damna-
re: non seipsum produnt, quod Concionatores suos non
aliter quam homines alios quosuis audiant: etiam si
ex uerbo Dei sua illi confirmant.

XL.

Addamus corollarium & hoc, quod hi ipsi, qui
de charitate Christiana tam prolixè nobis concionan-
tur: eius statim obliti, acerbissime inuehuntur in eos,
qui

qui pio zelo damnant errores.

XL I.

Et aut maiorem charitatem præstant ijs, à quibus dissentire sese profitentur.

XL II.

Aut certè non syncerè confitentur, quod sentiunt: & non tam damnationes nostras, quam ipsam doctrinam nostram auersantur.

Q V A E S T I O II.

XL III.

EX his, quæ hæcenus de prima quæstione dicta sunt, ad secundam etiam non difficile est respondere.

XL IIII.

Primum ex eo, quòd non modo Ministris mandatum est, ut damnent errores: sed etiam uniuersis Ecclesijs, ut uitent errores.

XL V.

Ita enim ad Romanos Paulus, Rogo uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula faciunt præter doctrinam, quam uos didicistis, & declinate ab eis, Rom. 16. c. 17.

XL VI.

Deinde, nisi publica Cõfessio, ueritatem & errores distinguat: semper relinquitur in animis hominum dubitatio, utra sententia sit melior.

XL VII.

Veræ autem Ecclesiæ ciues non dubitant, sed cer-

B

ti sunt de Fide & Religione sua.

XLVIII.

Tertiò Ecclesia uniuscuiusq; temporis, non pro-
se tantum rectè credere tenetur: sed depositum sanæ
doctrinæ ad posteros quoq; debet transmittere.

XLIX.

Quod si hoc aliqua Ecclesiæ nō faciunt: grauiissi-
mè sanè peccant in publica cōmoda posteritatis: &
sanguinem eorum, qui per errores peribunt, capita-
bus & ceruicibus suis imponunt.

L.

Quartò, palàm est ipsos etiam patronos errorum
confirmari in sua uel malitia, uel inscitia: quamdiu
eis non opponitur publica Confessio.

LI.

Etsi uerò experientia docuit, ipsos autores prauo-
rum dogmatum non facilè conuerti: tamen per pu-
blicam Confessionem, multis error, in quo inscij uer-
sabantur, detegitur, n̄sq; succurritur.

LII.

Quintò, Cùm confessio quoq; non minus quàm
Errorum damnatio, opus sit primæ tabulæ: debe-
mus sanè eam, ante alia quæcunq; opera secundæ ta-
bulæ præstare.

LIII.

Sextò, Publica Confessio illustrat gloriam Dei,
eāmq; iuxta primum præceptum, ante ponit proxi-
mo, & sibi quoq; ipsi.

LIIII.

Cùm enim

Cum enim Confessio ueritatis semper cum periculo coniuncta sit: Credidi enim, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis. Ps. 116. b. ro. 2 Cor. 4. c. 13:

LV.

Non potest Deum syncerè confiteri, nisi qui Deum plus amat, quàm seipsum.

LVI.

Septimo, semper in Ecclesia extiterunt publica quædam Symbola, quibus illa, à falsorum Doctorum conciliabulis distingueretur.

LVII.

Et subinde alijs atq; alijs exortis erroribus, Symbola illa aucta, & ad præsentem Ecclesiæ statum accommodata & adaptata sunt.

LVIII.

Octauo, Non debemus abijcere armaturam nostram, qua muniti resistere possumus Diabolo seminanti in securis hominum mentibus ἀθεόγυτα.

EXIX.

Sed potius, quia secundum Apostolum non ignoramus τὰ νοήματα αὐτοῦ: 2. Cor. 2. c. II: totis uiribus pugnare debemus contra ipsius μεθοδείας.

LX.

Postremo, Etsi falsi doctores tantisper occultare solent suos dogmata, dum asseclarum satis magnū numerum sibi comparent.

LXI.

Tamen ipsi quoq; Confessiones suas contra nos

B ij

edunt, et diu dissimulatas damnationes proponunt.

LXII.

Quanto magis nos, qui Lucis filij sumus, & ueritate nitimur, Confessionē nostram edere debemus.

LXIII.

Quod autem eos, à quibus nos per publicam confessionem separamus, uidemur obijcere crudelitati communium hostium.

LXIII.

Id planè nulla nostra culpa fit: nec enim aut ipsi eos persequimur, aut persequendos esse docemus.

LXV.

Sed falso prætextu excusatur crudelitas illorum, qui ne nos quidem uellent uiuere.

LXVI.

Scandalum quoque, quod ex istis damnationibus & confessionibus contrarijs apud infirmos oritur, non ueritatem defendentibus, sed errorum auctoribus & propugnatoribus imputandum est.

LXVII.

Quanquam sunt & alij, qui offenduntur, non dato, sed accepto scandalo, quod impietati suæ prætexunt, & gaudent adeo, se aliquid reperisse, quod obijcere ijs possint, à quibus dissentiunt.

LXVIII.

Ergo & errores per ministros damnandi sunt: & per publicam Confessionem, Ecclesiæ segregare sese debent ab alijs, prauos errores pertinaciter defendentibus, *ὅτι οὐκ ἔστιν αἰσχρὸν.*

FINIS.

34
F 4018

ULB Halle

3


002 717 190



TA 706







4.
De Charitate
Christiana
QVAESTIONES DVÆ,

anniuersariae disputationis causa propositæ in
Academia Argentoratensi, a IOHANNE
PAPPO Doctore Theologo.

*Respondebit de his, Christo Seruatore iuuante, 8. 15.
& 22. Martij, M. Iohannes Henneberger
Argentiniensis.*



ARGENTORATI
Excudebat Nicolaus Vvyriot.
1578.

